



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

3. Quid sit bonitas formalis, & moralis in actu interno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

num, nou vero exterior, v t suo loco dicemus, & statim etiam indicabimus.

VI. Neque existimo Caietanum omnino sensisse contra predictam doctrinam, nam illa q. 20. art. 3. docet bonitatem q. a. m. interior actus habet ab exteriori vt ab obiecto, seu sine intrinseco suo, non esse denominationem extrinsecam ab actu exteriori, sed esse aliquid in ipsomet actu interiori: quod optime probat à simili ex voluntate alterius finis honesti, qui non fit actus humanus. Addit tamen Caietanus quippiam, in quo fundat multa dubia, quæ in illis articulis obscurissime tractat, quæ reuera nõ erant necessaria, nec nituntur solido fundamento. Dicit ergo actum interiorem, qui est intrinsece & in se bonus ab actu exteriori vt obiecto, posse etiam denominari extrinsece bonum ab eodem actu exteriori vt actus est, & in hoc differre talem actum internum, qui est causa exterioris, ab eo qui non est causa. Sed hic modus denominationis solum videtur excogitatus ad agendam rei difficultatem, quia reuera talis denominatio nõ est necessaria. Primum enim nulla causa denominatur proprie bona à suo effectu: deinde bonitas quam exterior actus habet ex se, non est bonitas formalis, sed obiectiua solum: ergo non potest denominare formaliter bonum actum internum, etiam extrinsece, sed ad summum denominare bonum obiectiue analogice, & secundum quid. Item actus exterior secundum suam bonitatem obiectiuam, non solum ab interiori bono, sed etiam à malo causari potest, nam actus elemofinæ exterior, etiam si à mala voluntate, vel intentione procedat, non amittit suam bonitatem obiectiuam, & tunc ille actus non dicitur bonus causaliter: ergo ex hac causalitate non sumitur talis denominatio.

VII. Ad fundamentum vero, in principio positum respondetur istam causalem, *actus interior est bonus quia exterior est bonus*, in eadem forma habere locum in omni actu interiori voluntatis respectu sui obiecti, vel finis: amor enim Dei est bonus, quia Deus est bonus, & sic de aliis: illa ergo causalitas non est vera in genere cause formalis proprie, sed tantum in genere cause obiectiue, seu finalis, quæ dici solet forma extrinseca per modum termini, & ideo non sequitur bonitatem quæ est in actu exteriori, vel generaliter in obiecto, denominare actum formaliter bonum, sed ad summum bonitatem actus interioris sumi ex ordine ad bonitatem obiecti, seu finis, & circumstantiarum, vt sigillatim inferius dicemus.

SECTIO III.

Quid sit hæc bonitas formalis & moralis in actu interno.

I. Prima sententia est, bonitatem hanc nihil esse præter collectionem omnium circumstantiarum, seu conditionum, quæ secundum rectam rationem necessariae sunt vt actus interior simpliciter & absolute denominetur bonus. Refertur pro hac sententia Scotus in 2. d. 40. quo loco eam declarat per proportionem ad bonitatem naturalem vniuscuiusque rei, quæ nihil aliud est quam collectio perfectionum omnium quæ tali rei iuxta naturam eius, debentur. Quomodo etiam D. Thomas 1. 2. q. 18. art. 1. videtur explicare bonitatem actus moralis, scilicet per hoc quod habeat plenitudinem essendi: sic ergo in actu voluntatis plenitudo eius confurgit ex hoc quod habeat obiectum, & omnes circumstantias sibi debitas: vnde si hæc omnia habeat, est bonus, si

aliquo istorum caret, est malus: signum ergo est bonitatem eius in hac integritate, seu collectione consistere.

Hæc tamen opinio vel falsa est, vel improprie & insufficienter explicat quod inquirimus. Duo enim modis intelligi potest collectio obiecti & circumstantiarum esse bonitatem actus voluntatis: primo formaliter: quo sensu est plane falsum, quia, vt paulo antea dicebam, obiectum non est forma efficiens formaliter actum voluntatis, sed est, vel causa extrinseca finalis, vel terminus habitudinis actus ad ipsum: eadem autem ratio est de circumstantiis, quia hæc non conferunt propriam bonitatem & honestatem actui interiori: nisi quatenus sunt aliquo modo volitæ, atque adeo quatenus aliquo modo participant rationem obiecti: ergo per se non formaliter efficiunt actum, sed sunt tantum causa alicuius habitudinis actus ad ipsam: loquor autem de circumstantiis obiecti, nam de aliis quæ circumstant ipsam actum secundum se est alia ratio, vt videbimus. Secundo modo posset hæc sententia intelligi causaliter, & ita est impropria locutio, quia bonitas non est collectio obiecti & circumstantiarum, sed resultat, seu oritur ex obiecto & sine debitis circumstantiis affecto: & hic sensus est verus, vt postea videbimus, sed non sufficiens ad rem, de qua agimus, explicandam, quia non inquirimus vnde oriatur bonitas, sed quid in se sit.

Secunda sententia est, hanc bonitatem consistere in conformitate ad legem: quam indicant aliqui auctores statim citandi. Et potest in hunc modum suaderi, nam quidquid habeat actus voluntatis seclusa hac conformitate, nõ est bonus, qua posita est bonus: ergo signum est hanc bonitatem in hac conformitate consistere. Antecedentem pater, nam etiam ipse amor Dei, qui videtur maxime bonus per se, si fiat contra præceptum, vt, v. g. si Deus mihi nunc prohiberet ne exercerem amorem eius, & nihilominus ego amarem, ille amor esset malus hic & nunc, quia non est conformis legi: vnde etiam fit vt idem actus per solam mutationem legis fiat de bono malus, vel è contra, manens immutatus in aliis omnibus, vt si quis velit comedere carnes nunc tempore prohibito, illa volitio est mala: si autem tollatur prohibitio, poterit esse bona: ergo signum est totam bonitatem esse in prædicta conformitate. Confirmatur tandem, quia hæc conformitas, aliqua bonitas est, & est propria actus moralis vt moralis est, imo sola videtur illi propria, nam si qua alia bonitas reperiri potest in actu interiori, illa poterit esse in illo, etiam si liber non sit, vt in actu amoris Dei reperitur tota illa rectitudo quæ intelligi potest in ordine ad obiectum, etiam si necessario fiat, & moralis non fit: conformitas autem ad legem non potest esse nisi in actu morali, quia nullus alius potest cadere sub præceptum: ergo illa conformitas est propria omnino bonitas moralis.

Hæc sententia dupliciter potest intelligi, primo de conformitate quasi fundamentali, seu ex parte obiecti, ita vt ille actus dicatur conformis legi, quia tendit in tale obiectum, quale est præscriptum à lege, aut quia tendit in ipsam conformitatem cum lege tanquam in quoddam obiectum bonum. Et hic sensus licet non sit formalis & proprius, est tamen verus, quamuis non eodem modo ad omnem bonitatem possit applicari, vt ex dicendis constabit, nam in hoc sensu hæc sententia coincidit cum nostra, vel est quedam pars illius: non est autem hic sensus intentus ab autoribus huius sententiæ.

Secundo

II.

III.

2. Sententia

IV.

Huius sententia sensus vnus expeditur.

V.
2. Sensus im-
pugnatur.

Secundo modo intelligi potest de convenien-
tia propria & formali inter ipsum actum volun-
tatis, & legem, id est, de denominatione seu re-
latione, quæ in nostro actu inde resultat. Et in
hoc sensu existimo sententiam esse falsam, primo
quia hæc bonitas moralis secundum se abstrahit
à lege proprie sumpta pro præcepto superioris,
nam in primis multi sunt boni actus interni, qui
non sunt præcepti, quod si quis extendat nomen
præcepti ad consilium, vel certe respondeat, quam-
vis non omnes actus sint præcepti quoad exer-
citiū, omnes tamen esse præceptos quoad spe-
cificationem, seu quoad modum quo debet fieri
si sunt: adhuc est extra rationem bonitatis mo-
ralis, ut hoc sit lege præscriptum, nam per se suf-
ficere posset ipsa natura talis actus, vel obiecti,
nam velle dare elemosinam, aut loquendo,
velle dicere verum, per se & natura sua est actus
virtutis per se sufficiens ad bene afficiendum o-
perantem, etiam si per impossibile nullus esset su-
perior qui legem ferret. Quod potest ita expli-
cari, hæc enim lex potest intelligi aut in diuino
iudicio, quo Deus iudicat hunc actum ita esse
faciendum, ut sit honestus [quam multi putant
esse legem æternam] & tunc non ideo actus est
talis, quia Deus iudicat debere esse talem, sed è
contrario, potius Deus ideo iudicat illum actum
debere esse talem, quia hæc est ratio & natura e-
ius: ita honestas talis actus non consistit in con-
formitate ad illam legem, sed potius obiective
supponitur in illo, ut iudicium illud ferri possit.
Vel intelligitur hæc lex in voluntate diuina qua
vult obligare homines ad sic operandum: & hæc
cum sit posterior ratione illo iudicio, multo ma-
gis supponit honestatem in re præcepta, quam
illud iudicium: vel denique intelligitur illa lex
in nostra ratione, & de hac multo magis proce-
dit ratio facta, quia, ut D. Thom. ait 1. 2. quæst. 19.
art. 2. ad 1. ratio naturalis non habet rationem le-
gis, nisi prout est participatio legis æternæ, & il-
lam applicat.

VI. Sed dices hunc discursum solum habere locum
in actibus qui dicuntur præcepti quia honesti,
non vero in aliis qui sunt honesti quia præcepti:
ergo saltem in his consistit prædicta formalis ho-
nestas in prædicta conformitate ad legem posi-
tiam, vel diuinam, vel humanam. Sed contra
hoc ampliatur magis ratio facta, nam vel lex præ-
cepit voluntatem quæ per se & sine lege posset
esse honesta, ut si nunc Deum præcipiat amare, &
tunc lex non dat actui honestatem, sed dat ne-
cessitatem exercendi talem honestatem, & hoc
est frequentius in legibus præcipientibus actus
humanos: vel interdum mandat lex actum de se
indifferentem non solum quoad necessitatem,
sed etiam quoad honestatem, & tunc actus non
erit bonus ob solam conformitatem materialem
ad legem [ut sic dicam], sed ob formalem,
obiectiuam seu finalem, & tunc erit actus bonus
ex habitudine ad finem, seu obiectum, non
vero ad legem, nisi quatenus sumitur pro obiecto.

VII. Declaratur, nam duobus modis potest intelli-
gi actus conformis legi, vel propter immedia-
tam habitudinem, seu relationem quasi similitu-
dinis, quæ resultat inter actum & legem positam
extremis: & hanc voco conformitatem quasi ma-
terialem, quia potest esse in actu præter intentionem
operantis, imo præter scientiam, seu cogni-
tionem, nam si quis ignorans hodie esse diem festum
andaret Missam, reuera implet præceptum,
& in actu eius est prædicta conformitas ad præ-
ceptum, quamvis neque ipse illam intendat, ne-
que cognoscat: & hanc conformitatem dico non

sufficere ad bonitatem actus: primo quidem non
sufficit quia bonitas formalis non est in volun-
tate, nisi sit voluntaria, non utcumque, sed direc-
te, ut infra dicam, aut per modum obiecti, aut
saltem per modum actus, quia voluntate aut pec-
catur, aut recte vivitur, sed prædicta conformitas
non est voluntaria: ergo ut sic, non reddit
actum bonum. Secundo non sufficit, quia actus
malus, vel indifferens potest habere hanc con-
formitatem, nam si quis faciat quoad substantiam
id quod ei præcipitur, est conformis legi ad
seruandam illam, & tamen fieri potest ut aliunde
peccet in eo actu.

Alia ergo est conformitas formalis, quæ esse
potest variis modis. Primo modo ex parte finis,
quia scilicet operans non solum facit quod præ-
ceptum est, sed etiam oportet ipsius præcepti fi-
nem, quem necesse est esse bonum, nam si lex in-
terdum præcepit actum indifferentem ex obiecto,
necesse est ut saltem præcipiat ob bonum fi-
nem, alias non esset lex honesta, nec rationabilis:
tunc ergo actus potest esse bonus ex tenden-
tia ad talem finem, ex qua inde resultat alia con-
formitas relativa ad legem. Secundo modo ex
parte obiecti proximi habentis honestatem ob-
iectiuam rationi legis in aliqua specie virtutis,
ut quando lex determinat in ipsa materia me-
dium virtutis, ut v. g. iustitiæ, vel temperantiæ, &
tunc actus si versatur circa tale obiectum ut sic,
potest esse bonus formaliter: sed illa bonitas
intrinsicè consistit in habitudine ad obiectum,
non vero ad legem, nisi quatenus aliquo modo
se tenet ex parte obiecti, immutando illud mo-
raliter: inde vero poterit resultare alia conformi-
tas relativa ad legem, quæ adhuc dici potest ali-
quo modo materialis, quatenus, ut sic, non est
intenta operante. Tertio & ultimo potest esse
hæc formalis conformitas, si ipsa ut sic, sit ab
operante directe intenta, ut cum aliquis vult o-
perari ut se subiciat legi, & tunc poterit quidem
voluntas esse bona ex hoc motivo, & tamen iam
tunc respicit legem, seu conformitatem ad illam
ut obiectum. Unde bonitas inde sumpta non est
communis omni actui bono, sed est specialis vir-
tutis obedientiæ, & ideo dici non potest ratio-
nem formalem bonitatis ut sic, consistere in hac
conformitate. Possunt præterea hic adungi alie
rationes, quibus supra disputatione secunda, sectio ne-
secunda, à numero quinto ostendi bonitatem obiecti-
uam non posse consistere in hac conformitate
ad legem, nam est fere eadem ratio, & statim ad-
demus multa.

Tertia sententia non est multum dissimilis
precedenti, quæ ponit hanc bonitatem in con-
formitate ad rationem rectam, quæ videtur pla-
cere Scoti in 1. d. 17. quæst. 3. §. Quantum ad istum arti-
culum, & iuxta hoc videtur exponere primam
sententiam supra citatam in num. 1. quam alibi
sæpe indicat: dicit enim bonitatem actus esse con-
formitatem eius ad rationem rectam plene di-
stantem de omnibus quæ convenire actui pos-
sunt. Similia fere repetit in 2. d. 7. vbi etiam Gabr.
quæst. 1. in principio. & in 3. d. 36. Gregor in 3. d. 26. q. 1.
Durand. d. 38. quæst. 1. num. 7. Almain tractatu 1. mo-
ral cap. 13. & 14. Conrad. 1. 2. quæst. 18. articulo 5. vbi
D. Thom. videtur huic sententiæ favere, & q. 64.
art. 3. quæst. 1. de verit. art. 2. quæst. 1. de virtut. artic. 3. &
sæpe alibi. Fundamentum est, quia tota bonitas
voluntatis pendet ex iudicio rationis, adeo ut
stant eodem actu voluntatis, ob solam muta-
tionem iudicii, mutetur actus de bono in malum,
ut si quis existimans hodie esse diem Dominicæ,
carnes veller comedere, erit actus bonus, & ta-
men si advertat esse diem sabbati, & perseveret
in eo.

VIII.
Deinde ex-
cludo no-
dos aliter
conformitatis.

IX.
3. Scitandum.

2. 1

In eodem actu voluntatis, erit malus: ergo signum est totam bonitatem illius actus consistere in conformitate ad iudicium. Et ratio à priori esse videtur, quia res non dant bonitatem voluntati, ut sunt in se, sed ut iudicantur practice à ratione, quia recta ratio est regula voluntatis: ergo bonitas voluntatis consistit in conformitate ad suam regulam.

X. Hæc opinio potest habere varios sensus, nam primo considerari potest ratio ut habet vim legis respectu voluntatis: & in hoc sensu hæc opinio coincideret cum precedenti, unde nihil in eo sensu addendum est. Secundo potest considerari ratio ut manifestans, & proponens obiectum, seu ut iudicans ipsum actum voluntatis utrum hic & nunc bonus sit, vel malus: & hinc potest resultare duplex conformitas in voluntate respectu rationis, una enim conformitas est quasi similitudinis, vel proportionis inter ipsos actus in intentione, & hoc nullo modo esse potest bonitas ipsius actus voluntatis ob multa supra tractata in 2. sententia. scilicet quia illa habitudo est præter intentionem operantis, & quia est posterior ipsa bonitate actus, nam prius intelligitur versari actus circa obiectum honestum per rationem propositum. Item quia non est actus bonus quia talis iudicatur, sed potius quia ipse honestus est, & ideo est verum iudicium quo iudicatur esse talis: sic enim intelligendum est quod Aristoteles dixit 6. Ethic. ca. 2. veritatem intellectus speculativi ex conformitate ad res ipsas sumi, veritatem autem intellectus practici sumi ex conformitate ad appetitum rectum, quod etiam docet D. Thom. 1. 2. quest. 57. art. 5. ad 3. Item quia inter ipsos habitus, à quibus progrediuntur hi actus, scilicet inter prudentiam & virtutem moralem voluntatis potest intelligi illa conformitas, & tamen nemo dicit bonitatem habituales virtutis moralis consistere in habitu ad habitum prudentie: sed ad obiectum quod potest per prudentiam proponi. Altera ergo potest consistere in conformitate, non inter ipsos actus inter se, sed in obiecto, scilicet quia voluntas tendit in tale obiectum, quale per rectam rationem proponi solet: & hoc modo loquuntur fere omnes auctores citati de conformitate ad rationem rectam, ut magis quam ceteri explicavit Durand. Alio etiam modo possemus per hanc conformitatem intelligere convenientiam ipsius actus interioris ad naturam rationalem: & quoad hæc duo erit vera hæc sententia pro ut statim explicabimus, nam ita declarata nihil differt à nostra.

XI. Quarta opinio referri solet, & tribui Caietano 1. 2. quest. 71. art. 6. & quest. 72. artic. 1. ubi non de bonitate, sed de malitia loquitur, ubi etiam docet esse proprietatem positivam, & realem pertinentem ad prædicamentum qualitatis, existentem in actu voluntatis: quod quidem maiori ratione diceret de bonitate, nam id dicit de malitia, quia existimat contrariorum eadem esse rationem. Potest autem hæc opinio breviter ita fundari à sufficienti enumeratione: quia hæc bonitas non est relatio rationis in rigore sumpta ob rationes sæpe tactas in simili questione, quia hæc relatio nihil est, sed esse fingitur, unde non denominatur proprie, nisi quando ab intellectu fingitur: bonitas autem actuum & aliquid est, & realiter denominatur, etiam si intellectus nihil fingat. Rursus non est etiam relatio realis, tum quia omnis huiusmodi relatio est aliquid resultans præter intentionem agentis: bonitas autem hæc est per se intenta ab operante, tum etiam quia nulla bonitas proprie consistit in relatione, ut

supra ostensum est, quod maiori ratione in hac locum habet, quia est magna perfectio rationalis naturæ. Deinde non est etiam denominatio extrinseca, ob easdem fere rationes, quia hæc bonitas est magna perfectio: denominatio autem extrinseca nihil perfectionis ponit in re denominata. Item quia denominatio extrinseca, si aliquid hic esse potest, erit à lege, vel à recta ratione: ostensum est autem bonitatem hanc non consistere in denominatione ab his extrinsecis formis. Item quia hæc denominatio provenit ab extrinseco, & non fit proprie ab ipso operante: bonitas autem hæc est ab extrinseco, & fit ab homine operante virtutem. Tandem non potest hæc bonitas consistere in sola substantia actus interioris, quia manente eadem substantia actus potest nunc esse bonus, & postea esse malus mutato tempore, lege aut sine: ergo bonitas est aliquid aliud præter substantiam, præsertim quia substantia actus est aliquid naturæ: hæc autem bonitas quid morale: superest ergo ut sit proprietates realis & absoluta, intrinsece afficiens substantiam ipsius actus.

XII. Hæc sententia etiam est falsa, cuius tamen perfectæ intelligentia pender ex his fere, quæ dicam tribus disputationibus sequentibus: tunc sufficiant quæ de simili opinione diximus supra tractando de esse morali, possunt enim etiam hic eadem proportione applicari. Item ex Metaphysica constat bonitatem rei non posse esse aliquid ex natura rei distinctum ab ipsa re, præsertim absolute: quid est autem eadem ratio de bonitate hac respectu actus boni.

XIII. Ut ergo explicem meam sententiam, aduerto ex his quæ supra dixi, dupliciter posse aliquid denominari bonum nempe ut quod, & ut quod, seu absolute & in se, vel respectu alterius, vel tanquam suam habens debitam perfectionem, aut tanquam alteri conveniens, eumque commode afficiens iuxta suam naturam: quæ distinctio accommodari potest actibus voluntatis, nam licet sint accidentia, tamen, ut supra etiam attigi, accidentia quoque habent bonitatem suam, ratione cuius bene afficiunt substantiam, atque ita D. Tho. 1. 2. q. 19. art. 1. & fere in tota hac materia considerat bonitatem actus quatenus est perfectio eius, seu quatenus habet omnia quæ ad talem perfectionem requiruntur, nam inde consequenter fit ut talis actus sit homini conveniens. Deinde est advertendum ex dictis disp. 1. sicut in esse morali contingit aliud esse id quod denominatur morale, & aliud id unde sumitur talis denominatio, ita in bonitate morali aliud esse potest ipsa bonitas, à qua actus denominatur bonus, aliud vero principium, seu forma, unde denominatur moralis, & utrumque est explicandum.

XIV. Dicendum primo a quomodo voluntatis esse bonum & perfectum, nihil aliud esse quam esse rectum & studiosum: atque hoc modo bonitatem eius non esse aliud quam ipsum esse virtutis quod in ipso est. Hanc conclusionem sumo ex Aristotele 6. Ethicor. c. 6. dicente virtutem esse que bonum facit habentem, nam ex hac definitione intelligitur ipsum esse virtutis esse bonitatem quandam, & perfectionem ipsius virtutis: unde D. Thom. 1. 2. quest. 57. art. 3. dicit loquens de habituali virtute, essentialiter esse habitum bonum, & artic. 4. ad 1. dicit virtutem esse bonam non alia bonitate à se distincta, sed quia ipsa est talis. Unde etiam August. libr. 2. de lib. arbit. capit. 18. & 19. & 1. retract. cap. 9. dicit virtutem esse bonam mentis qualitatem, & libr. 2. de morib. Eccles. cap. sexto, dicit virtutem facere animam optimam, quæ omnia licet possint ad habituales virtutes applicari, eodè ta-

men

men modo locum habent in actu virtutis: quia ratio virtutis & bonitatis prius reperitur in actibus, quam in habitibus, vt bene Gabr. in 3. d. 23. *quest. 1. art. 1. notab. 4.* ex Aristot. 2. *Ethicor. cap. 1.* dicente secundum differentiam operationum fequi habitus: actus ergo voluntatis in tantum est in se bonus & perfectus, in quantum est actus virtutis, & inde etiam habet vt constituat formaliter hominem bonum in actu secundo: ergo bonitas hæc, & perfectio eius nihil aliud est, quam ipsum esse virtutis, seu differentia illa, per quam constituitur in esse virtutis. Et confirmatur primo, quia ablato hoc esse virtutis, tollitur bonitas formalis & moralis ab ipso actu, & illo posito, & quocumque alio per intellectum præciso, manet bonitas in actu, quia manet actus sufficiens ad benefaciendum homini. Confirmatur secundo, quia quando homo operatur bene, hoc esse virtutis per se primo operatur, & hoc maxime cadit sub intentionem eius, estque dignus laude aut præmio ratione eius, quæ sunt proprietates consequentes bonitatem moralem: ergo signum est hoc esse virtutis esse perfectionem illam, à qua actus voluntatis dicitur bonus.

XV. *Dubium breuiter explicatur.*
Sed tunc statim se offerebat inquirendum, quid sit hoc esse virtutis, sed hoc pendet ex dicendis de obiecto, fine, & circumstantiis. Nunc breuiter dico dupliciter esse posse actum voluntatis actum virtutis, vel tanquam elicatum à voluntate, vel tanquam imperatum: in priori actu esse virtutis nihil aliud est quam ipsum esse specificum & entitatum talis actus, & ita hoc ipsum erit bonitas, seu perfectio à qua dicitur actus in se bonus: in posteriori autem actu nihil est esse virtutis, nisi denominatio extrinseca ab actu imperante, & in eadem consistit bonitas eius: quomodo autem hæc probanda sint, constabit ex dicendis.

XVI. *Assertio.*
Dicendum secundo. Actus voluntatis quatenus est bonus & conueniens homini, præter bonitatem & perfectionem dictam quam in se habet, nihil in ipso actu addit, sed solum connotat in homine talem naturam & capacitatem, nempe rationalem, cui optime conuenit illa perfectio, seu bonitas talis actus. Hæc conclusio patet ex dictis in simili de bonitate obiectiua, nam eadem est proportionalis ratio: constat etiam ex bonitate transcendentali omnium entium, nam nulla res dicitur bona alteri, nisi ratione sue perfectionis entitatiuæ, addendo conuenientiam ad alteram: quæ conuenientia solum connotat in alia prædictam capacitatem. Docet autem D. Thom. 1. 2. *quest. 55. art. 4.* ita se habere hanc bonitatem ad virtutem, sicut se habet bonitas transcendentalis ad ens. Tandem probatur à sufficienti enumeratione: excludimus enim omnes modos qui excogitari possunt, & positis his quæ diximus, sufficienter intelligitur tota hæc bonitas: ergo in his præcise consistit.

XVII.
Dices primo hanc potius esse bonitatem obiectiuam, quam formalem ipsius actus voluntatis, nam quatenus est rationali naturæ conueniens, est respectu illius bonus obiectiue. Respondetur eandem bonitatem in ordine ad diuersa seu secundum diuersas rationes, posse vtramque denominationem accipere: quamuis enim possit esse aliqua bonitas pure obiectiua, quæ non sit formalis, tamen è contrario omnis bonitas formalis est etiam obiectiua, quia est appetibilis ab ea re cuius est bonitas: & ita in præsentia, actus virtutis comparatus ad humanam naturam quatenus est perfectibilis modo sibi conuenientissimo, est quædam formalis bonitas eius: qua-

renus autem comparatur ad alium actum, quo amari potest, est etiam honestum obiectum in quod potest tendere voluntas. Dices ulterius: ergo esse hoc modo bonitatem formalem est de essentia talis actus, & non consequitur ad illam vt proprietates: consequens autem videtur esse contra D. Thom. 1. 2. *quest. 71. artic. 1.* vbi loquens de virtute dicit esse bonitatem quandam, & consequi ad essentiam virtutis. Ad hoc Caietan. in illo loco concedit rationem bonitatis pertinere ad essentiam virtutis, non vt rationem specificam, sed vt genericam, & ita exponit D. Thom. rationem bonitatis consequi ad essentiam virtutis eo modo quo differentia generica comitatur specificam. Sed reuera esset valde impropria locutio: quis enim dicat differentiam genericam consequi ad essentiam rei præsertim quia Diu. Thom. ibi non agit de differentia specifica virtutis, sed in genere de virtute, & ad illius essentiam dicit consequi bonitatem. Alter Medina ibi respondet virtutem posse comparari vel ad subiectum cuius est dispositio: & hoc modo de essentia illius esse quod sit quædam bonitas subiecti: vel ad actum quem potest efficere: & hoc esse quid consequens ad essentiam virtutis, & sub hac ratione dici bonitatem consequi ad illius essentiam. Sed hæc doctrina reuera non est ad mentem D. Thom. nam ibi distinguit illa tria, nempe esse dispositionem talem subiecti, esse bonitatem, & esse principium actuum virtutis: & virtutem dicit esse bonitatem quandam, non vt est principium actuum, sed vt conuenienter disponit subiectum. Deinde neque in se est vera illa doctrina, quia loquendo de virtute habituali, de essentia eius est habitudo ad actus, sicut ad subiectum, imo in tantum bene disponit subiectum, in quantum reddit illud facile & promptum ad actus.

XVIII.
Dico ergo ex D. Thoma aliis locis citatis, ita comparari hanc bonitatem ad virtutem, sicut in communi bonitas comparatur ad ens: vnde sicut bonitas non est aliquid realiter consequens rationem entis tanquam aliqua proprietates realiter ab illa distincta, sed solum dicitur consequens rationem entis ob diuersam habitudinem illa voce significatam, vt connotatam, quamuis re ipsa nihil sit præter essentiam entis: ita in præsentia dicendum est, siue loquamur de habituali, siue de actuali virtute, essentialiter esse perfectionem bene afficientem subiectum in quo est: & ita, vt supra vidimus, Aristot. & omnes definiunt virtutem: hinc tamen secundum rationem consequitur vt habeat conuenientiam quandam cum tali natura, ratione cuius fit illi propter se appetibilis: quod etiam in naturalibus perfectionibus seu proprietatibus videre licet.

XIX. *Assertio.*
Dicendum tertio, vt hoc esse virtutis, quod est in actu voluntatis, denominetur bonum morale, seu bonitas moralis, necesse est vt illi coniungatur esse liberum. Ita docuit Scotus *quodl. 18. §. 2.* Gabr. cum Ocham in 3. d. 23. *quest. 1. notab. 4.* & constat ex doctrina supra data de esse morali: sicut enim actus voluntatis etiam si in substantia sua sit omnino idem, si non sit liber non est moralis, ita quamuis talis actus tendat in honestum vt sic, & in hac ratione sit omnino rectus, & studiosus nihilominus si non sit liber, illa rectitudo non erit moralis: quod videre licet in actu amoris diuini, nam in beatis est rectissimus, & ab eadem virtute charitatis procedens, atque adeo eiusdem speciei cum amore vix, vt est probabilis, & nihilominus ibi non habet bonitatem moralem, non quia desit illa bonitas, quam habet ex obiecto, & differentia specifica, sed quia desit illi moralitas quæ sumitur ex libertate.

XX. Si inquiras, an hoc ipsum esse liberum dicat aliquam bonitatem moralem in actu distinctam ab ipsa bonitate, quæ potest saluari sine libertate, Videbitur forte ita dicendum, quia ad omne esse sequitur aliquid bonitatis eo modo quo est, sed hoc esse liberum est aliquo modo esse reale: ergo, &c. Respondetur libertatem quidem ipsius potentie in actu primo esse bonitatem quædam seu perfectionem non moralem, sed naturalem, non in actu secundo, sed in actu primo: unde in ipso actu secundo hoc esse liberum reuera non addit bonitatem physicam & realem distinctam à perfectione ipsius potentie, & positio in fluxu, quem habet in actu, sed addit quandam denominationem quæ morali modo potest dici perfectio quædam. Et adhuc de ista est ulterius addendum in communi sumptam, non esse etiam bonitatem moralem, id est, honestam, quia est conditio communis bonis & malis actibus: est ergo quid indifferens: tamen hæc libertas adiuncta bonitati & honestati actus, dat illi quandam valorem & æstimationem, quæ potest merito dici dignitas quædam moralis actus, quæ non consequitur ex honestate sola, neque ex libertate, sola, sed ex libera honestate, seu [quod idem est] ex bono vsu libertatis, quæ significatur illis verbis: *Potuit transgredi, & non est transgressus, &c.* & eodem modo possumus dicere, potuit non bene operari, & bene operatus est, & ideo in hoc fundatur ratio meriti, iudicis, &c.

XXI. Vitimo addendum est, ut actus voluntatis denominetur bonus simpliciter, necessarium esse ut nulla malitia moralis illi coniungatur. Ita docent omnes Theologi cum D. Thom. 1. 2. quest. 18. artic. 1. ex illo principio vulgarissimo, *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* Solum est aduertendum aliud esse disputare an in eodem actu voluntatis possint simul coniungi verum esse virtutis, atque adeo aliqua vera bonitas moralis cum aliqua malitia morali vera: aliud vero an si coniungantur, talis actus dicendus sit bonus, vel malus. De primo nihil nunc definimus, tractandum enim est infra in propria disputatione, ubi explicabimus quanta sit oppositio inter bonitatem & malitiam. Hic vero solum affirmamus prædictam conditionalem, per quam responsum fere est ad præcipuum fundamentum, quo nitentur omnes fere sententiæ supra citatæ, scilicet quia idem actus potest fieri de bono malus, & e contrario, sine sui mutatione: respondetur enim fieri non posse ut actus elicitus à voluntate sic constitutus in specie virtutis, amittat illam bonitatem sine sui mutatione, quamvis fortasse fieri posset ut extrinsecus, seu accidentaliter illi adiungatur aliqua malitia, ratione cuius non possit denominari simpliciter bonus, sicut denominatur ex vi suæ bonitatis specificæ, si nullam haberet malitiam adiunctam. Et eadem ratione si aliquis actus est ita malus, ut ex vi suæ speciei nullam habeat honestatem, non poterit affici bonitate intrinseca, seu specifica sine sui mutatione. Quando vero actus accidentaliter solum est bonus, vel malus, non repugnabit sine sui mutatione intrinseca fieri de bono malum, vel de malo bonum, quamvis hoc posterius nunquam fiat sine aliqua mutatione voluntatis saltem per additionem alterius actus, quæ omnia non possunt hoc loco latius explicari donec in particulari fusius tractentur in disputatione octava, & tunc etiam clariora erunt omnia quæ in superioribus opinionibus insinuavi.

Suarez in primam secundæ D. Thomæ.

SECTIO IV.

Quotuplex sit bonitas in actu interiori voluntatis.

Ratio dubii esse potest, quia D. Thom. 1. 2. quest. 18. art. 4. dicit quatuor esse bonitates in actu humano, una est secundum genus pro ut est actus, alia secundum speciem pro ut ad tale obiectum tendit, tertia ex circumstantiis, quarta ex fine. Eandem fere doctrinam habet in 2. dist. 36. artic. 5. in corp. quamvis in modo loquendi non nihil differat, nam bonitatem ex obiecto vocat quasi genericam, ex circumstantiis autem, specificam. D. Thomam autem imitatus est Scot. in 2. d. 40. q. 7. mica. & quodlib. 18. ubi significat illas quatuor bonitates esse quasi partiales, & singulas per se sumptas tantum esse bonitates secundum quid, ex omnibus autem constari bonitatem simpliciter actus. Verum est hos autores non loqui in particulari de actibus interioribus, sed in communi de actu humano: unde facilius posset accommodari illa doctrina ad actum externum pro ut ex se habet bonitatem obiectivam, ut supra dictum est. Nihilominus multi Thomistæ eam etiam intelligunt de actibus interioribus, in quibus distinguunt re ipsa quatuor illas bonitates partiales, adeo ut à parte rei sit una separabilis ab alia, nam potest manere idem actus secundum substantiam bonus solum bonitate actus ut sic, sine vlla bonitate ex obiecto formali: & hæc rursus esse potest sine bonitate ex circumstantiis: & tandem bonitatem simpliciter actus componi ex his omnibus, quia sine illis non erit actus simpliciter bonus.

Hæc sententia sic exposita mihi valde displicet in multis. Primum enim bonitas illa prima, quæ consistit in ratione actus, seu actionis ut sic, reuera non est honesta bonitas de qua loquimur, quia de se communis est & indifferens ad actum honestum & turpem etiam intrinsece: cum tamē in actu intrinsece malo nulla sit proprie bonitas honesta, imo neque in actu indifferenti ex obiecto ut talis est, nam ideo est indifferens, quia omnino caret honestate & malitia: & ideo recte dixit Scot. dicto quodlib. actum humanum ut humanum, primo determinari ex obiecto honesto, ad honestum ut sic. Scio Caietan. 1. 2. q. 18. art. 8. ad 1. dicere omnem actum voluntatis, quantumvis malum habere aliquam bonitatem moralem saltem ex parte finis vniuersalissimi, quia scilicet omnis actus tendit aliquo modo in beatitudinem & finem vltimum, iuxta dicta in tract. 1. Sed hoc valde improprie dictum est, quia illa relatio in finem vltimum non est ab operante, sed ex natura ipsius actus, seu entitatis, & ideo non pertinet ad formalem bonitatem & honestatem operantis, sed solum ad naturalem entitatis illius bonitatem, quæ potest etiam denominari moralis, id est, libere facta per extrinsecam denominationem, ut sæpe dictum est: non tamen bonitas moralis honesta, de qua nunc agimus, quia quando actus est ita malus, nullam habet per se conuenientiam cum recta ratione, seu natura rationali, neque intendere illo modo implicito, finem vltimum in tali particulari bono est per se decens aut conueniens homini: neque D. Thom. aut Scot. supra relati, numerarunt illam tanquam bonitatem moralem, sed ut bonitatem naturalem, quæ secundum rationem prima est, & quasi fundamentum honestatis moralis.